

## 6. PŘÍLOHA

1 M: Amori suo precordiali omnibus aromatibus dulcius redolenti, corde et corpore sua: arescentibus floribus tue iuventutis, viriditatem eterne felicitatis.

... Vale salus vite mee.

2 V: Singulari gaudio, et lassate mentis unico solamini, ille cuius vita sine te mors est: quid amplius quam seipsum quantum corpore et anima valet.

... Vale lux mea, vale pro qua mori velim.

3 M: Purissimo amori suo, et intime fidelitatis digno: per vere dilectionis statum, care fidei secretum.

... Celi regnator sit inter nos mediator, et sit socius fidei nostre. Vale, et Christus rex regum, te dulcissimum salvet in evum. Vale in illo qui cuncta gubernat in mundo.

4 V: De die in diem dulciori et nunc quam maxime dilecte et semper super omnia diligende, singularis eius: eandem et immutabilem sincere fidei constantiam.

... Vale clarissima stella mea, nobilissima dulcedo mea, et sola consolatio mea. Vale o mea valetudo.

5 M: Iocunde spei mee: fidem meam, et cum omni devotione meipsam quamdiu vivam.

Totius artis largitor, et humani ingenii largissimus dator, mei pectoris interna philosophie artis impleat pericia, quo te possim dilectissime ita salutare scriptis, ad consensum mee voluntatis. Vale, vale, spes iuventutis mee.

6 V: Clarissime stelle sue, cuius nuper radiis delectatus sum: ita indeficienti splendore nitere, ut nulla eam nebula possit offuscare.

Quia tu ita dulcissima domina me precepisti, vel ut verius dicam, quia ardentissima amoris flamma compellit, se dilectus tuus continere non potuit, quin in vice sue presentie eo quo potest litterarum officio te salutet. Ita ergo salva esto, sicut ego tui salute indigeo. Ita vale sicut in tuo meum constat valere. In te spes mea, in te requies mea. Nunquam tam subito evigilo, quin animus meus te intra se locatam inveniat.

7 M: Hucusque dilecto semperque diligendo: tota sua re et affectu, salutem, gaudium totiusque utilitatis ac honestatis profectum.

... Vale vale et tamdiu vale quoadusque regnum dei videatur permanere.

8 V: Dilectissime domine sue, cuius memoriam nulla intercipere potest oblivio, fidelissimus eius tunc primum tui nominis oblivionem, cum mei nominis memor non ero.

... Vale, in pace in idipsum dormi et requiesce. Dormi dulciter, cuba suaviter, ita firmiter dormias, ut latus non mutet. Vale o requies mea, vale et semper vale.

9 M: Ardenti lucerne, et civitati supra montem posite: sic pugnare ut vincat, sic currere ut comprehendat.

... Volo et inhianter cupio ut litteris iuxta preceptum tuum intercurrentibus precordialis inter nos firmetur amicitia, donec illa michi nimium felix dies illucescat, qua votis omnibus

desideratam tuam faciem videam. Sicut lassus umbram, et siciens desiderat undam, ita te desidero videre. ... Nihil unquam erit tam laboriosum corpori meo, nihil tam periculosum anime mee, quod te non impendam caritati... Vale in deo, quo validior est nemo.

10 V: Preciosissime gemme sue, suo naturali splendore semper radianti, aurum eius purissimum: letissimis amplexibus eandem gemmam circumdare et decenter ornare.  
... Vale que me valere facis.

11 M: Omnium virtutum continentia clarissimo, et super favum mellis iocundo, inter omnes eius fidelissima: dimidium anime, et seipsam in omni fide.  
... Deum testem habeo, quem neque latet, nec latere potest ulla secreti machinatio, quam pure, quam sincere, cum quanta fide te diligo. ... Nunc igitur, quia ocium in scribendo non habeo, ut valeas centies clamo, ac milies repeto, tuumque vale nulli sit equale.

12 V: Ardenter amate, et ardentius amande, pre omnibus fidelis, et ut verius dicam solus fidelis: quicquid sincerissimi amoris regula exigit.  
Non opus esse reor dulcissima ut fidem tuam quam factis evidenter exhibes, verbis dilecto tuo commendes. Si omnes vires meas in tuum servitium contendam, nichil me fecisse putabo, inanem me operam sumpsisse comparacion tuorum meritorum iudicabo. Si quicquid bonorum secularium conferri potest, totum congeratur in unum, ut aut hec aut tuam amicitiam eligere debeam, per fidem quam tibi debeo, nullius ea precii reputabo. ... Certe fecisse iuvat. Vale decus meum, que omnibus que dulcia sunt, incomparabiliter dulcior es, et omnia tempora ita leta ducas ut ego tibi cupio, quia non melius opus est.

13 M: ... Grata mentis mee benivolencia, pro se et officio suo tibi semper obnoxia, cum omnes quas vellet salutes expedire non potuit permultas, et iam siluit, ne plures enumerando, offendere sibi videretur universas. Sepe me tibi scribere, eadem iterum atque iterum repetere, nec tibi onerosum reor, nec michi est difficile, quippe quem sicut memetipsam diligo, ita te toto cordis conamine diligere non negligo. ... Vale carior vita. Scias quod in te mea mors est et vita.

14 V: Si tabulas tuas dulcissima diutius retinere michi liceret, plurima scriberem sicut plurima occurrerit. Nam si semper scribere possem, ita, ut nichil aliud facerem, sufficientem sine dubio materiam haberem: tuam scilicet probitatem, tua merita que circa me tanta sunt, ut quanta sint estimari non possit. Vale, certissima spes mea.

15 V: Cordi suo, fidelissimus eius: noctem candidam, et utinam mecum.  
Vale anima mea, quies mea.

16 V: Signaculo suo, mentis interioribus artius impresso, ille qui eiusdem signaculi expressa similitudo est: eo tenaciorem affectionem quo in unius nostrum salute res communis indifferenter agitur.  
Tu, o dura, anime tue quomodo immemor esse potuisti? Nam ubi mei oblita est, si ego anima tua sum, anime tue quoque oblita es. Vale dulcissima. Totus tecum sum, et ut verius dicam, totus in te sum.

17 V: Inexhausto tocius sue dulcedinis vasculo, dilectissimus eius: neglecto celi lumine, te solam indesinenter aspicere.

Cum dies in noctem vergeret, ulterius me continere non potui, quin salutandi officium ultro arriperem, quod tu tarda distulisti. Vale, et scias quia sine tua valitudine, nec salus nec vita mea consistit.

18 M: Par pari, rubenti rose sub immarcido liliorum candore: quidquid amans amanti.

Quamvis sit hiems in tempore, estuat tamen pectus meum amoris fervore. Quid ultra? Plura tibi scriberem, sed sapientem pauca monebunt. Vale, cor et corpus meum, et omnis dilectio mea.

19 V: Pauca quidem verba tua sunt, sed ea plura feci sepe relegendo, nec ego penso quantum dicas, sed de quam fecundo orde procedat quod dicis. Vale dulcissima.

20 V:

Stella polum variat, et noctem luna colorat,  
Sed michi sydus hebet quod me conducere debet.  
Nunc mea si tenebris oriatur stella fugatis,  
Mens mea iam tenebras meroris nesciet ullas.  
Tu michi Lucifer es, que noctem pellere debes.  
Te sine lux michi nox, tecum nox splendida lux est.

Vale stella mea que splendoris sui damna non patitur. Vale summa spes mea in qua sola michi conplaceo, quam nunquam reduco ad memoriam, quia nunquam amitto a memoria. Vale.

21 M: Dilecto suo speciali, et ex ipsius experimento rei: esse quod est.

Cum mens mea versetur circa plurima rerum negocia, deficit acuto percussa dilectionis hamo. ... Sicut ignis inextinguibilis est, nulla materia rerum superabilis, nisi adhibeatur aqua que naturaliter est ei potens medicina, sic omnibus est amor meus insanabilis, tibi autem soli est medicabilis. Quo munere te ditabo, mens mea anxiatur ignorando. O decus juvenum, consors poetarum, quam decorus aspectu, sed prestabilior es affectu; tu mea presens leticia, et est michi meror tui absentia; equipolenter te diligo. Vale.

22 V: Gemme sue presenti luce gratiori et lucidiori, ille qui sine te crassis est tenebris obvolutus: quid aliud, nisi ut in tuo naturali fulgore indeficienter glorieris.

Fateri solent physici, quod luna nisi a sole non luceat. Itaque cum hoc lumine privatur, omni caloris et splendoris beneficio destituta, orbem suum mortalibus fuscum et pallidum ostendit. Huius nimirum rei similitudo inter me et te aperte exprimitur. Tu enim sol meus es, que me vultus tui iocundissimo splendore semper accendis et illuminas. Ego lumen nisi a te nullum habeo, sine te ebes, obscurus, enervis et mortuus sum. Et ut verum fatear, maius est quod tu michi quam quod sol lunari globo accomodat. Quia luna quo soli propior fit plus obscuratur, ego quo plus tibi admoveor, quo tibi vicinior sum, plus ardeo et in tantum inflammor, ut, sicut ipsa sepe notasti, cum iuxta te sum, totus in ignem transeam, totus medullitus urar.

Quid ergo tuis innumerabilibus beneficiis equum reponam? Nihil equidem, quia dulcissima verba tua factorum quantitate transcendis, ipsa amoris exhibicione transgrederis, ita ut pauperior michi in verbis quam in factis videaris. Inter cetera que pre aliis innumera possides,

hoc quoque tenes egregium, ut in amicum plus agas quam dicas, in verbis pauper, in factis copiosa - quod eo tibi es gloriosus, quanto facere quam dicere difficilius...

In pectore meo immortaliter sepulta es, de quo sepulcro me vivente non emerges - ibi cubas, ibi quiescis. Usque ad somnum me comitaris, in somno me non deseris, post somnum statim ut oculos aperio ante ipsum celi lumen te video. Ad alios verba, ad te intencionem dirigo. Sepe in verbis cado, quia cogitatio mea ab eis extranea est. Quis ergo negare poterit, quin veraciter in me sepulta sis? ... Invidium amoris nostro tempus imminet, et tu tamen ita differs quasi ociosi simus. Vale.

23 M: Dulcissimo anime sue presidio, et in eius caritatis radice plantato, illa in cuius dilectione firmiter est constitutus, et in cuius mellifluo amoris sapore bene fundatus: quod ab ira distat et odio.

Cum vellem tibi rescribere, reiecit me impar viribus meis rei magnitudo. Volui enim et non potui, incepti et defeci, sustulli et elisis gravitate humeris corruui. Voluit animi fervens affectus, renuitque aridi defectus ingenii. Horum duorum altercationes plenasque litibus persuasiones sustinui, et perpensa utriusque ratione cui potius cederem examinare nequivi. Ait enim animi affectus: "Quid agis ingrata? Quamdiu suspendis me longa et certe indigna taciturnitate? Nonne te excitat dilecti tui liberalis benignitas, et benigna liberalitas? Contexe plenas graciaram litteras, refer abundantiam pietatis, quas debes, graciosas. Beneficium enim non videtur gratum et acceptum, de quo multum graciaram non fuerit relatum."

Persuasionibus his parendum credidi, et certe parere volui, sed restitit ingenii ariditas temeritatis mee inceptum acriter correptionis flagello castigans. "Quo," inquit "stulta et infirma ruis? Quo te procellit inconsiderata intentio festini animi? Incipesne, cum sis rudis et incircumcisis labiis, grandia loqui? Non enim sufficis materie tali et tam magnifice. Quippe qui rem quamlibet assumit laudare, debet tandem in partes distribuere singularumque partium qualitates summa cautione pensare et quamque secundum dignitatem congrue laudis celebritate honorare. Alioquin rei laudande iniuriam facit, qui speciosa eius narratione <...>, elegantiam enormi narratione deterit. Sed unde tibi est hec scribendi copia, ut digne dicas sublimia? Attende te et rem, quam affectas. Multiformia et ampla sunt beneficia, quibus tu litteris tuis graciosas referre paras. Quid estuas multis cogitationum procellis? Respice pectus tuum brutum et frigidum, prorsus carens sale scientie et tantum crassi aeris segnicie turgidum. Contrahe audacie tue vela, lintrem qua imperiosum pelagus tranare paras, cito nisi caves mensura."

Hac hortaminis et dehortaminis alternatione suspensam, hucusque debitam graciaram actionem distuli, parens consiliis, imbecillitatem suam erubescens ingenii. Quod queso abundans in te divine suavitatis excellencia michi non imputet, sed cum sis vere dulcedinis filius, cognita tibi mansuetudinis virtus super me magis abundet. Scio quidem et fateor ex philosophie tue divitiis maximam michi fluxisse et fluere copiam gaudiorum, sed ut inoffense loquar, minorem tamen quam que me faciat in ea re perfecte beatam. Venio enim sepe aridis faucibus desiderans suavi oris tui refici nectare, diffusasque in corde tuo divitias scienter haurire. Quid pluribus opus est verbis? Deo teste profiteor, quia nemo in seculo vitali spirat aura quem te magis amare desiderem. ... Sit tibi vale dilecto meo, medullas interiores dulciter penetrare.

24 V: Anime qua nec candidius, nec michi carius terra protulit, caro quam eadem anima spirare facit et moveri: quidquid ei debeo per quem spiro et moveor.

Litterarum tuarum copiosa et tamen insufficiens ubertas, duarum rerum evidentissimum michi testimonium prebet, redundantis scilicet fidei et amoris. Unde dictum est: "Ex abundantia cordis os loquitur." ... Ego autem litteras tuas ita avidè suscipio, ut michi semper breves sint quia desiderium meum et saturant et accedunt, ad similitudinem in ardore laborantis, quem potus ipse quo plus reficit, plus accendit. Deum testor quod novo modo cum eas diligencius intueor, novo inquam modo commoveor, quia ipse animus leto horrore concutitur, et corpus in novum habitum gestumque convertitur; et tales littere laudabiles sunt, que sensum audientis quocumque volunt impellunt.

Soles a me querere dulcis anima mea quid amor sit, nec per ignoranciam excusare me possum quasi scilicet de re incognita sim consultus, cum ita me idem amor imperio suo subiecerit, ut non extranea res sed multum familiaris et domestica, immo intestina videatur. Est igitur amor, vis quedam anime non per se existens nec seipsa contenta, sed semper cum quodam appetitu et desiderio, se in alterum transfundens, et cum altero idem effici volens ut de duabus diversis voluntatibus unum quid indifferentur efficiatur. ...

Scias quia licet res universalis sit amor, ita tamen in angustum contractus est, ut audacter affirmem eum in nobis solummodo regnare, in me scilicet et in te domicilium suum fecisse. Nos enim duo amorem integrum, invigilatum, sincerum habemus, quia nichil est dulce, nichil quietum alteri, nisi quod in commune proficit; eque annuimus, eque negamus, idem per omnia sapimus. quod inde facile probari potest quia tu sepe meas cogitationes anticipas; quod ego scribere concipio, tu prevenis, et si bene memini, tu illud idem de te dixisti. Vale et sicut ego te, ita tu me indefesso amore contuere.

25 M: Thesauro suo incomparabili, super omnes delicias seculorum delectabili: beatitudinem sine finem, salutem sine defectione.

Quid sit amor, vel quid possit naturali intuitu ego quoque perspicuus morum nostrorum studiorumque similitudine que maxime contrahit amicitias, et conciliat perspecta vicissitudinem amandi tibi rependere et in omnibus obedire. ... Si amor noster tam facili propulsione discedit verus amor non fuit; verba mollia et plena que inter nos hactenus contulimus, non fuerunt vera sed amorem simularunt. Amor enim cui semel aculeum infigit, non facile deserit. Nosti o mi amor precordialis, quod tunc veri amoris officia bene persolvuntur quando sine intermissione debentur, ita ut pro amico secundum vires faciamus et super vires velle non desinamus.

Hoc ergo vere dilectionis debitum persolvere studebo, sed pro dolor ad plenum nequeo. At si pro pravitate ingenii in te salutandi officio non sufficit, saltem proficiat apud te meum indesinens velle. Scias enim dilecte mi et vere scias ex quo dilectio tua cordis mei hospiciolum vel tugurium sibi vendicavit, semper grata et de die in diem delectabilior permansit, nec sicut plerumque fieri solet assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia negligentiam, negligentia fastidium peperit. Magno quidem studio tempore inter nos nascentis amicitie me appetere cepisti, sed maiori desiderio ut augetur et permaneret dilectio nostra contendisti. Unde sicut res tue se habent, noster variatur animus, ut tuum gaudium, meum depretem profectum, et tuam adversitatem meam amarissimam deiectionem. Non idem michi videtur impleri quod ceperis, et augere quod perfeceris, quia ibi additur quod deest, hic cumulatur quod perfectum est. Et nos licet omnibus integram caritatem exhibeamus, non tamen omnes equaliter diligimus, et ita quod omnibus est generale quibusdam efficitur speciale. Aliud est sedere ad mensam principis, aliud eius interesse consilio, et plus est ad amorem trahi quam ad consessum invitari. Non itaque tantum gratie tibi debeo si me non

repellas, quantum si obvia manu suscipias. Simpliciter candide menti et purissimo pectori tuo loquar. Non magnum est si te diligo, immo pessimum si unquam tui oblita fuero. Ergo care mi tam fideli amice rarus esse noli. Hactenus aliquo modo supportare potui, ast nunc tui presencia dum careo cantibus volucrum, viriditate nemorum permota, amore tuo languedo. His omnibus utique congauderem si tui colloquio et presencia secundum velle meum perfrui possem. Sicut tibi cupio, ita michi faciat deus. Vale.

26 V: Dilecte sue nondum cognite, sed adhuc interius cogoscende, juvenis qui tanti boni noticiam intrinsecus ardet prescrutari: in tam abstruso et inexhausto boni fonte semper redundare, et per eum haustu non deficere.

... O quam fecundum suavitatis pectus tuum, o quam integra venustate prefulges, o corpus succi plenissimum, o ineffabilis odor tuus, profer quod latet, revela quod habes absconditum, totus ille copiosissime dulcedinis tue fons ebulliat, amor tuus totus in me suas laxet copias, nichil penitus devotissimum servum tuum celes, quia nichil actum credo, dum aliquid restare video. De hora in horam tibi vicinius astringor, sicut ignis qui ligna comburit, plus eo voracior, quo in alimentis est copiosior. ... Perpetua luce et inextincto fulgore immortaliter coruscas. Vale.

27 M: Oculos suo: Bezelielis spiritum, trium crinium fortitudinem, patris pacis formam, Idide profunditatem.

28 V: Dilecte in eterna memoria tenaciter recondite: quicquid ad illud esse conducit, cuius plenitudini nichil deficit.

Qui nobis invident, utinam invidendi longa eis materia detur et utinam nostris opimis rebus diu marcescant quandoquidem ita volunt. Me a te separare, ipsum si nos mare interluat, non potest; ego te semper amabo, semper in animo gestabo. Nec mirari debes si in nostra tam insignem, tam aptam amicitiam prava emulacio suos obliquat oculos, quia si miseri essemus sine omni profecto livida notacione vivere cum aliis utcumque possemus. Rodant ergo detrahant, mordeant, in seipsis liquescant, nostra bona suam amaritudinem faciant; tu tamen mea eris vita, meus spiritus, mea in angustiis recreacio, meum denique perfectum gaudium. Vale que valere me facis.

29 M: Omnibus omissis sub alas tuas confugio, tue dicioni me suppono obnixte tibi per omnia subsequendo. Dicere vix possum tristia verba. Vale.

30 V: Deus tibi dulcissima propicius sit. Ego servus tuus sum, in tua iussa promptissimus. Vale.

31 V: Dulcissime sue in omni egritudine unico remedio suo: nichil unquam molestie sentire, nulla temptari egritudine.

... Collige quantum ipsa presentia tua fecisset, si tantam vim absens habuisti. Certe si uno saltem intuitu in iocundissimam faciem tuam intendissem, nunquam quicquam doloris sensissem. ... Manda michi quo in loco fortuna mea sit, quia penes te tota est. vale, et valere non desine. ...

32 M: Ut convalescis, neminem me letiorem ipse scis. Crede quidem tibi solem oriri meridianum, tue saluti jocundari contentus avium, te propter eadem, dum infirmabaris, elementa non rectum servasse ordinem; cuius rei testis est aeris temperies hucusque debilitata, que iam, ut te sospitari sensit, tibi congratulando est mutata. Ecce quidem hac modica nive liquata reviviscent omnia, arridebunt sibi tempora nobis quoque per dei gratiam non insolita leticia. Tu tantum sis incolumis, et omnia adiciuntur nobis.

33 V: Excutienda pigricia est, et cum fervore temporis novus dictandi fervor sumendus. Nisi tu precurras, ego precurram. Vale luna presenti multo lucidior et sole cras orituro gratior.

34 M: Vale et premeditare quod melius est provida dilacio quam incauta mentis festinatio. Aptum colloquio nostro tempus elige, et michi manda. Vale.

35 V: Electe sue dilecte eius: eidem incepto amori fixis insistere vestigiis.  
Ego tibi dilectissima facile condonarem, eciam si grave aliquid in me commisisses, quia nimium durus esset, quem sermo tuus tam mollis, tam suavis emollire non posset. Nunc vero venia tibi opus non est, quia nichil in me peccasti. Vale.

36 V: Reverende domine sue, humilis servus eius: devotum servitium.  
Sic enim vos appellare iam michi opus est, ut non dicam tu, sed vos, non dulcis, non cara, sed domina, quia non sum familiaris ut antea, et vos michi nimis estis extranea.

37 V: Unice expectationi sue qui expectans expectat: ut felix sis, sine me tamen felix esse nolis.  
Tuus servus sum, ad te corpus totum, ad te totum animum dirigo. Cum te non video, lumen me videre non judico. Miserere tabescentis dilecti tui, et fere deficientis nisi cito michi succurras. ... Interroga nuncium quid egi, postquam litteras perscripsi: ilico certe in lectum pre inpatiencia me conieci. Vale.

38 a. V:  
Ardorem mentis his cogor pandere verbis,  
Qui mentem mordet cordis secretaque torret  
Ut laticesque petit quos ardor solis iniurit  
Tangere sic pectus iam gestio temet anhelus  
Iam facio finem concludens ista sigillo.

38 b. M:  
Nolis atque velis tibi corde manebo fidelis  
Celi regnator sit nobis hic mediator  
Sit socius fidei que constat amore duali  
Hos versus scribo tibi quos carissime dono  
In quis perpendas quod sum tibi corde fidelis  
Namque fides vera repetit bene facta priora.  
His autem demptis datur hec pariter quoque ventis

Ergo quicquid amet hec nobis semper inundet  
Alma dei dextra te protegat intus et extra.

38 c. V:

Vite causa mei, tu clemens esto fideli  
Cuncta mee vite quoniam spes permanet in te.  
Diligo te tantum non possum dicere quantum  
Hec michi lux nox est, sine te michi vivere mors est  
Sic valeas vivas sic cuncta nocentia vincas,  
Ut volo ceu posco ceu totis viribus opto.

39 V: Dilecte sue super mel et favum dulci: si quid dulcedinis accedere potest ei que plene totam possidet.

Tu mea vita es, tu meum desiderium es. Vale.

40 V: Amice nobili ac multum amabili: precor mecum sis stabilis, ut ego tecum volo.

Tu mecum esto, meus animus esto, meum gaudium esto. Vale ceraso pulcrior et dulcior.

41 V: Soli in quam mens et oculus inreflexos habet intuitus: quicquid meus tota animi et corporis directione valet conatus.

Ego preceptum in te non habeo, fac quod vis. Aliquid scribe duo saltem verba si potes. Vale.

42 V: Amate et semper amande solitarius in tecto merens et curis estuans: salutem quam velim tecum habere, et te sine me non habere.

... Talis oppositio non amantis est, sed recedere volentis, occasiones frigiditas querentis. Non olim in me talis eras, amiciciam ad calculum non vocabas. Ego duricia tecum nequeo contendere, nimis enim in te mollis sum; meas accipe litteras, que tuas michi mittere gravaris. Dic ergo dulcissima quousque torquebor, quousque flammis estuantibus interius ardebo, et nullo dulcissimi sermonis tui refrigerio eas levabo? Multa dicenda supersunt. De die in diem magis in amore tuo ferveo, et tu frigescis. ... Nil celes, nude dicas. Vale.

43 V: Lilio suo, non illi lilio quod marcescit, sed quod odorem mutare nescit, cor eius: quantum tota vi corporis et animi valet.

Sine dubio quicquid est suavitatis, in te natura transfundit, quia quocumque me verto nusquam aliquid suave nisi te solam reperio. Te ergo pre animo habens vivo, sencio, discerno, iocundor, omnium laborum obliviscor, ad omnia sum negocia fortior. In te igitur qui valeo, perpetuam tibi valetudinem opto vehementer. Vale, in animo me semper habe.

44 V: Integro gaudio suo quo dum careo vere exul et infortunatus sum: feliciter vivere, summe gaudere, si fas est ut sine me gaudeas.

Vale deum testor quod istud vale oculis stillantibus protuli.

45 M: Cedrine domui sue, eburnea statua, supra quam domus innitur tota: nivis albedinem, lune fulgorem, solis candorem, stellarum splendorem, rosarum odorem, lili pulcritudinem, balsamique suavitatem, terre fertilitatem, celi serenitatem, et quicquid in eorum dulcedinis comprehenditur ambitu.



Cithara cum timpano tibi serviat dulciter modulando. Si voluntatem meam amantissime consequeretur effectus, quicquid nunc per litteras, totum tecum per corporalem conferrem presenciam. ... Te discedente tecum discessi spiritu et mente, nec aliud relictum fuit patrie, nisi corpus stolidum et inutile, et quantum longa tue discessionis absentia me cruciarit, illius solummodo novit sciencia qui cuiusque cordis rimatur secreta. Ut enim ardentis tempore Syrii area siciens imbrem expectat e celo, sic mens mea te desiderat merens et anxia. Nunc sit deo in celis gloria, michique gaudium in terra, quod te quem super omnes diligo, vivere scio et valere. Nam quociens fortuna deposuit, tue dulcedinis consolacio me restituit. Tu vadis in rotis virtutum, ideo michi longe preciosior es super aurum et topazium. Non enim me magis possum negare tibi, quam Biblis Cauno, aut Oenone Paridi, vel Briseis Achilli. ... Quid plura? Tot mando tibi gaudia, quot habuit Antiphila recepto suo Clinia. Ne tardes venire; quanto cicius veneris, tanto cicius invenies unde gaudebis. Vivas, valeas, ut Helye tempora cernas.

46 V: Desideratissime spei et tali bono, quo habito ulterius nichil desiderari possit: opto ut ego illi bono incorporari merear, quod cum tanta desidero impatiencia, quanta vix dici vel credi potest.

Ego anime mi quantum litteris tuis delecter, quanta animi exultacione tuo in me amori velim occurrere, potius opere volo exhibere, quam verbis demonstrare. Videre te nimis desidero, pre desiderio tabesco. Vale anima mea formosa mea, omne gaudium meum, qua nulla pulcior meo iudicio, nulla melior.

47 V: Anime qua sub celo terra nichil protulit candidius, ille omnium hominum infelicissimus: ita omnem felicitatem sicut ipse qui optat, omni caret felicitate.

O noctem infaustam, o dormitationem odiosam, o execrabilem desidiam meam. Vale sola refectio mea, solus cibus meus, unica quies mea; ubicumque ego sum, tu veraciter es.

48 M: Amans amanti: amoris viriditatem.

Nemo debet vivere, nec in bono crescere, qui nescit diligere, et amores regere. Quid pluribus opus est verbis? Igne amoris tui succensa, te diligere volo per secula. Vale unica salus mea, et solum in mundo quod amem.

49 M: Rose immarcessibili beatudinis flore vernanti illa que te super omnes homines diligit: florendo crescere, et crescendo florere.

Nosti o maxima pars anime mee multos multis se ex causis diligere, sed nullam eorum tam firmam fore amiciciam quam que ex probitate atque virtute, et ex intima dilectione proveniat. Nam qui ob divicias vel voluptates sese diligere videntur, eorum nullomodo diuturnam arbitror amiciciam, cum res ipse propter quas diligunt, nullam videantur diuturnitatem habere. Quo fit, diviciis vel voluptate deficientibus eorum eciam deficiat simul et dilectio, qui non propter se res sed se propter res dilexerunt.

Sed mea dilectio, pacto longe tibi alio sociata est. Nec enim me ignava opum pondera, quibus nichil est ad nefas instructius, te diligere compulerunt, sed sola excellentissima virtus, penes quam omnis honestatis, tociusque prosperitatis causa consistit. Illa quidem est que sibi sufficiens, nullius indiga, cupiditates omnes refrenat, amores reprimit, gaudia temperat, dolores extirpat; que cuncta apta, cuncta placentia, cuncta jocundissima sumministrat nichilque se melius reperire valet. Habeo sane repertum in te, unde te diligam, summum scilicet atque omnium prestantissimum bonum. Quod cum constet esse eternum, est michi

causa procul dubio, qua eterno maneat in mei dilectione. Crede igitur michi o desiderabilis non opes non dignitates non omnia que sectatores huius seculi concupiscunt, poterunt me a tui dilectione secernere. Non erit vere ulla dies qua mei meminisse valeam, que sine tui memoria possit a me transduci.

Magne temeritatis est litteratorie tibi verba dirigere, quia cuique litteratissimo et ad unguem usque perducto, cui omnis dispositio artium per inveterata incrementa affectionum transivit in habitum, non sufficit tam floridum eloquentie vultum depingere, ut iure tanti magistri mereatur conspectui apparere, nedum michi que vix videor disposita ad queque levia, que demorsos ungues non sapiunt, nec pluteum cadunt: magistro inquam tanto, magistro virtutibus, magistro moribus, cui iure cedit francigena cervicositas, et simul assurgit tocius mundi superciliositas, quilibet compositus qui sibi videtur sciolus, suo prorsus iudicio fiet elinguis et mutus.

Unde sit michi credula benignitas tua, nisi scirem vere dilectionis indefectam amicicium tibi insitam esse, impolitas tam rudis stili litteras non tibi mittere presumerem. Sed quia indefective caritatis dulcedinisque stimulus in tue dilectionis amorem me, licet etiam tibi foret ingratum, quod absit <inpulit>, invenit erga te mee dilectionis fervens affectio, ut nunquam potest aliqua interveniente molestia perfecta excludi devotio. Qua de re si mea voluntas expleri potuisset, essent profecto iste pluresque littere tibi directe, ut tibi tantum scriberem, nec una die curarem stilum feriatum habere, quamvis te pigeat michi scribere.

Certe famam meam litterarum tuarum inceptio suscitasti, non pleniter adhuc exsaciasti. Cum enim more meo, intimo amicorum meorum tabescam desiderio, multum dolorem meum refrigeres, si eloquio prolixiore usus fuisses. Hoc tamen tantillum caritative salutationis compendium, accipio quasi angelum, atque per horas singulas legens et relegens. Interdum etiam vice tua deosculans, operam do ut ferventissime aviditati mee satisfaciam. Nichil enim hac in vita michi delectabilius esse existimes quam te loqui, vel scribere, aut audire loquentem. Heret quippe cordi meo illa tue scriptionis mellita dulcedo, que dum recolo a tristitia ad gaudium, a merore vero ad hylaritatem deducit. Quo verus deus scit nichil credi potest. Sed si forte minime credis, erit ut estimo dies illa si deus placuerit, qua nichil verius te audivisse fatebere. Cesset iam exclamatio, quia reddita est ratio, qualiter sit tenenda nostri dilectio.

Sicut in axe poli nil est equabile soli  
Sic tibi consimilis meta non clauditur orbis.  
Dum vivis valeas, post mortem gaudia sumas.

Ne amplius te fatigem sermone impexo, esto cure salvatori altissimo; vale qui in tui recordatione omnes michi molestias abstergis. Vale sine termino.

50 V: Soli inter omnes etatis nostre puellas philosophie discipule, soli in quam omnes virtutum multiplicium dotes integre fortuna conclusit, soli speciose, soli graciose, ille qui tuo munere etheriis auris vescitur, ille qui tunc solum vivit, cum tue certus est gracie: in ulteriora semper profectum, si proficere potest que ad summum pervenit.

... Tuum admiror ingenium, que tam subtiliter de amicicie legibus argumentaris ut non Tullium legisse, sed ipsi Tullio precepta dedisse videaris. Ut ergo ad respondendum veniam si responsio iure vocari potest, ubi nichil par redditur, ut meo modo respondeam: verum dicis o omnium mulierum dulcissima, quod vere talis dilectio nos non colligavit, qualis solet

colligare qui sua tantum querunt, qui amicitiam questum faciunt, quorum fides cum fortuna stat et cadit, qui virtutem sui ipsius precium non putant, qui amicitiam ad calculum vocant, qui id quod ad se rediturum sit, sollicitis articulis supputant, quibus demum sine lucro nichil dulce est.

Nos vere alio pacto, ne dixerim fortuna, immo deus coniunxit; ego te inter multa milia ob innumeras virtutes tuas elegi: nullum veraciter ob aliud commodum, nisi ut in te quiescerem, nisi ut omnium miseriarum michi lenimen esses, ut de terrenis bonis omnibus, sola tua venustas me reficeret et omnium dolorum oblivisci faceret. Tu michi in fame saturitas, tu in siti refectio, tu in lassitudine quies, tu in frigore calor, tu in calore umbraculum, tu demum in omni intemperie saluberrima michi et vera temperies.

Tu etiam me ob aliquam fortasse bonam opinionem quam de me habuisti, me in tuam noticiam vocare dignata es. Tibi multis modis impar sum, et ut verius dicam omnibus modis impar sum, quia in hoc etiam me excedis, ubi ego videbar excedere. Ingenium tuum, facundia tua, ultra etatem et sexum tuum iam virile in robur se incipit extendere. Quid humilitas, quid omnibus conformis affabilitas tua! Quid in tanta dignitate admirabilis temperantia tua! Nonne te super omnes magnificent, nonne te in excelso collocant? ut inde quasi de candelabro luceas et omnibus spectabilis fias? Ego credo et confidenter affirmo quod nemo sit mortalium non cognatus non amicus, quem michi anteponas, et ut audacius dicam quem michi conferas. Non enim plumbeus sum, non stipes sum, non corneum rostrum habeo, ut acute non olfaciam, ubi verus amor sit, et quis me ex corde diligit. Vale que me valere facis, et quomodo in gracia tua sim, certum me fac, quia tua gracia mea sola festivitas est.

51 V: Anime sue toti et integro <gaudio>: diem hanc felicem, et omne tempus. Manda michi dulcissima quomodo te habeas quia sanus esse non potero, nisi tua validudo causam michi sanitatis prebeat. Vale feliciter, donec iuga montis amabit aper.

52 V: Lilio ligustrum: florete perpetuum.

Quia mandatum domini non observamus, nisi dilectionem ad invicem habeamus, oportet nos divine scripture obedire. Vale, donec tua validudo mi tedio sit.

53 M: Sapientie lumine per nobilitatis insignia mirabiliter prefulgenti, candentis lili et vernantis rose similitudinem pretendenti, tocius corporis juvenili flore vigenti, tocius experts pericie: omnia que prospiciunt ad vere dilectionis profectum.

De favo sapientie si michi stillaret guttula scibilitatis, aliqua olenti nectare cum omni mentis conamine, alme dilectioni tue litterarum notulis conarer depingere. Ergo in omni latinitate non est sermo inventus qui aperte loquatur erga te quam sit animus meus intentus, quia deo teste cum sublimi et precipua dilectione te diligo. Unde non est nec erit res vel sors que tuo amore me separaret nisi sola mors. Quapropter quotidianum michi inest desiderium et optio, ut presentie tue reficiar refrigerio, et dies michi mensis, septimana quoque videbitur annus, donec dulcissimus tue dilectionis appareat aspectus. ... Cordi meo surgit et virescit dolor tam magnus, ut in eius descriptione saltem nec integer sufficiat annus. Corpus autem meum contristatum est, animus a solita hilaritate mutatu. Vale.

54 V: Dilecte et semper diligende fidelissimus eius: ut amor noster finem non senciatur et semper in melius convalescat.

Si tu o omnium rerum dulcissima de fide singularis amici tui dubitares vel si ego de tua

dilectione non essem certissimus, tunc ad commendationem mutui amores longiores littere querende, plura argumenta in patrocinium vocanda essent. Nunc quia sic amor invaluit, ut per se sine adiumento luceat, verbis minime opus est, quia in rebus abundantes sumus. Verumtamen non absurdum est si aliquando vel sic nos invicem visitemus et corporalis presencie littera locum suppleat, cum edax malorum hominum invidia, nos pro libito nostro iungi non patitur. Quid multa? sicut cum multis suspiriis frequenter exopto, deus omnipotens te michi incolumem diu conservet. ... Abire permittamus, quos retinere non possumus. Bonum inde consilium erit.

55 M: Viventium carissimo, et super vitam diligendo, intime devocionis amica: queque optima ex toto corde et anima.

Non te ignorare credo o meum dulce lumen quod nunquam superpositi cineres suffocant sopitum ignem, et si prohibent lucere, tamen non vetabunt semper ardere. Ita nulla extrinsecus accidentia aliqua ratione poterunt obsolere tui memoriale, quod cordi meo adnexui aureo vinculamine. Quid ultra? Deum enim testem habeo, quod vera et sincera dilectione te diligo. Vale maxima dulcedo mea.

56 V: Super omne quod desiderari potest desiderabili unanimis amicus: quicquid boni singulariter amantibus servatum est.

Sermo tuus super mel dulcis sincerissime fidei planissime testis est. Quid dicam tibi dubius sum, quia tantum te amo quod amorem exprimere prout se habet non valeo. Ad hoc o summa vite me requies, ad hoc inquam res devenit, ut excellentissimis meritis tuis nomen invenire non possim. Cum vales, nichil est quod me contristari possit. Cum egrotas, nichil est quod delectare possit. Si ergo vis dilecto tuo integre consulere, sana esto, tunc et ego sanus ero. Scit deus quem nichil latere potest quod cordi meo ita infra es, ut omnis cogitacio mea in te directa sit. Vale dulcissima non mulierum, immo generaliter omnium rerum.

57 M: Pulcherrimo ornamento suo, virtute, non forma eius amica: summe suavitatis plenitudinem.

Multum ut ipse nosti iam temporis fluxit, in quo nos proh dolor familiaris confabulacio iunxit; scias tamen, quamvis tua presencia ad libitum meum uti nequeam, tamen nulla re impediante, visibus internis te non cesso respicere, tuamque salutem et prosperitatem diligere. Vale dilectissime, et me meo erga te amore dilige.

58 M: Amico ut reor, illa olim pre ceteris in verbis dilecta, que immerito nunc caret amoris privilegio: quod nec oculus visu percepit, nec in interiora cordis pertransiit.

Valete, onus meum propensius alleviate.

59 V: Dilectissime sue supra omne quod est vel esse potest diligende: continuam salutem, et in omnibus bonis affluentissimos profectus.

Causa necessaria obstat, que meo desiderio pedem sinistrum opposuit. Ego nocens sum qui te peccare coegi.

60 M: Hucusque fideliter adamato postmodum vinculo egri amoris non diligendo: tamen stabilitum vadimonium dilectionis et fidei.

Magno caritatis pignore me tibi intimaveram quamdiu vera dilectio tua firma in radice

pendebat; nam et omnem spem meam quasi turrim invictam in te fundaveram. Nosti quoque si tantum dignaris, quod nunquam fui erga te duplici animo, nec esse volo. Nunc cogita et recogita hec et his similia. Ego vere semper pro te supportavi plurima satis plene et perfecte, nunquam possum scribere quam fortiter quam acriter te cepi diligere. Si necesse erat rumpi fedus quod pepigeramus, quamvis in se multum amaritudinis contineat, tamen altera iam vice non frangetur. Clamor tuus recedat a me, verba tua ultra non audiam. Nam unde michi profutura multa speravi bona, inde lacrimabilia cordis creverunt suspiria. Omnipotens deus qui neminem vult perire qui supra paternum amorem diligit peccatores, illuminet cor tuum gratie sue splendore, et reducat ad viam salutis, ut cognoscas que sit voluntas eius beneplacens et perfecta. Vale, sapientia et scientia tua me decepit, propterea omnis nostra amodo pereat scriptura.

61 V: Domine sue amate et semper amande, miserrimus amicus eius, cuius vite et mortis nullum fere discrimen est: velis, nolis, incepte amicitie talem cursum qui ad finem non veniat. Nescio quod meum peccatum tam magnum precesserit, ut tam brevi tempore omnem in me animum misericordie et familiaritatis penitus abicere volueris. Necesse est enim alterum horum fuisse, ut vel ego nimis in te peccaverim, vel tu parvum antehac amorem habueris, quem tam facile, tam incuriose abieceris. Ego nisi diligentius a te sum monitus, nullam in te culpam meam recognosco, nisi si culpam vocare vis, miseras suas et anxietates apud eum deplorare, ubi remedium speratur consolacio expectatur. ... Non sunt hec dicta amici, non sunt verba eius qui unquam ex corde benivolus fuerit, sed eius qui occasiones querit, eius inquam qui diu expectaverit, ut aliquid ad amoris scissionem cause invenire potuerit. Quo facto, aut verbo, queso te, tam contumeliosa verba provocavi? Tu semivivum me in mediis fluctibus involvisti, que vulneribus meis nova vulnera inflixisti, et dolorem doloribus addidisti. ... Si me amares, minus locuta fuisses. Quemvis inter nos constituas iudicem, et manifeste convincam, te plus in me, quam me in te peccasse, et certe quisquis verba tua diligentius consulit, reperiet ea non esse amanti, sed discidium querentis; nusquam in eis cor molle respicio, sed pectus durum et amori inexpugnabile adverto. ... Verumtamen o anima mea sicca lacrimas tuas, quod tamen ego meas non possum. Vale, cum lacrimis tuis scripta recepi, cum lacrimis mea scripta remitto.

62 M: Dilecta dilecto: quicquid beatius apud deum, quicquid honestius atque jocundius apud homines esse potest.

Si inesset michi tanta sermonum facecia, ut verbis tuis prudenter respondere valerem, quantocunque decentius possem libenti animo tibi responderem. At tamen licet satisfacere non valeam, pro posse et modulo sciencie mee respondeo. Sic inter nos res agatur, ne et tu periculum, et ego scandalum incurram. O viri duritiam verum est proverbium illud quod vulgo dici solet, pietatem viri talo ligari. Si vincula, si ferrum, si carceres, si cathenas, eciam si gladium pati debuisses, sperabam te abstinere non potuisse, quin quoquo pacto ad me venires, et mecum de his que michi litteris mandasti, una voce presentialiter ageres.

Lacrimas ulterius nolo ab oculis tuis prorumpere, quia indecens est virum flere, cum honesti rigoris debeat in se severitatem tenere. Tempus est carissime ut has amaras atque flebiles descriptiones proiciamus, secundis autem et letioribus manus cere imprimamus. Ergo dilecte mi letum scribe, letum cane, prospere feliciterque vive; fere mei oblite dulcedo mea, quando te videbo? Saltem unam michi horam concede letam.

63 V: Dilectissime sue: quicquid inter unice amantes sincera poscit devocio.  
... In litteris quas misisti, mature fuerunt sentencie, rationalis et ordinata compositio;  
nunquam certe aptius vidi dispositas. Ego dulcissima multas horas deo volente tibi prestabo  
dulcissimas et letissimas. Vale, anime mi.

64 V: Dilectissime sue: salutem quam ego tibi presens afferre cupio.  
Vale et vide ut nunquam lacrimas tuas videam, sed leta sis, certa de fide tui fidelis.

65 V: Anime sue, anima eius: in una anima diu unum esse.

66 M:  
Omine felici ceptis assis, Clio, nostri,  
Carmine sis comens tabulas et suavia promens.  
Mens vigilia queso tali ditata patrono  
Organa cuncta Jovis flabris spirante secundis  
En lux adventat, nox et discedere temptat  
En lux advenit, nox et confusa recedit  
Ecce manus cleri splendescit luce magistri,  
Splendor doctoris noctem fugat <at>que prioris.  
Muse qua causa laudes date voce sonora.  
Concine prima Clio: "flos cleri semper aveto."  
Dic post Euterpe: "florens felicia carpe."  
Dicque Thalia: "vale, crescunt dum cornua lune."  
Annie Melpomene: "spirant dum frigora brume."  
Addeque Tersicore: "felix per secula salve."  
Huic quoque Calliope rogo dulcia carmina prome.  
Dic Urania simul: "vivat virtutibus auctus."  
Moribus hunc ornes et honore Polimnia dones.  
Dic et nunc Erato: "felix sit corpore mundo.  
Felix sit mundo sed gaudens postque secundo  
Quo sibimet grati gaudent sine fine beati."  
"Salve, vive, vige," cuncta resonare Camene.  
"Gaudia tot retine quot habent guttas maris unde.  
Quotque virent herbe quot pisces sunt maris amne."  
Quid plus, quid dicem, pace fruatur, amen.

Vale spiraculum meum.

67 V: Vale dulcissima mea, et tuam licenciam dilecto tuo concede. Vale et sencias de me,  
quod de te ipsa. Tu semper es meta ad quam tendo, tu cursus mei terminus et requies. Vale  
super omne quod dici potest amabile.

68 V: Dulcissime dulcissimus: quicquid dulcius excogitari potest.  
Vale omnibus dulcior que dulcia esse noscuntur. Precor te obnixie ut michi mandes quomodo  
te habeas, quia tua prosperitas, est mea summa voluptas. Mand michi quando venire possim.

Vale.

69 M:

Littera vade meas et amico ferte querelas,  
Dans ex parte mei verba salutis ei.  
Tu licet invitum converte precamur amicum  
Dic, quia pro merito non meritum capio,

Eius sermonis credula facta dolis.  
Sit memor illarum michi quas fudit lacrimarum  
Cum michi dicebat quod moriturus erat,  
Si tam formose non perfrueretur amore  
Et tunc laudavit, quod modo vile facit.  
Dic ubi ploratus, ubi sint inquire, rogatus,  
Et pignus fidei quod dedit ultro michi.  
Cum tam raro venit? mea cur precordia ledit?  
Ah! Sic deludi non ego digna fui.  
Hos rogo ne versus oculus legat invidiosus  
Hosque sciant nolo pectora plena dolo.

Qua dictaminis dulcedine te alloquar dilectissime mentis mee excedit valenciam, quia sicut cor humanum in medio sanguine principalem sedem elegit exultacionis, ita mens mea te sibi summum desiderium in omni genere proposuit dilectionis.

Anima mea incomparabili amore ad fontem visionis tue sitit, neque unquam beatam vitam sine te ducere valet. ... Quot litteris hec eadem verba componuntur, tot doloris aculei cordi meo cum unda cruoris infiguntur. O pars pectoris mei quid fecisti? Miror quomodo ulla coactus vi a me tam subito mutari potuisses, quem tenaci dilectionis anchora in corde meo sigillavi. Idcirco cultrix cineris facta sum et cilicii et per diem ad noctem lacrimas deducunt oculi mei. Quid plura? Super omnia me acutissima doloris penetrat sagitta, et durior permanebit adamante, quem suspiria mee non movent miserie. Vale in eternum et ultra, si fieri potest.

70 V: Expectato desiderio suo et semper expectando: quicquid boni desiderari vel expectari potest.

Vale.

71 M: Dominica sententia perterrita per quam dicitur: "difficile est contra stimulum calcitrare," has inornatas litteras tibi mitto, earum probans indicio quam devote in omnibus me tuis preceptis subicio. Multum distat ortus ab occidente, sed fides rependitur fide per multa temporum spacia disiunctis, nec puncto distabit si eos vinculum vere dilectionis concathenavit. Quacunque enim morantur parte, anima tamen juncti erunt et mente. Multa habui loqui, sed nimia mentis amaritudine prepedior. Vellem ad horam tibi collaterari, et tecum confabulari; nam parva liceret tristitia, sed plura cordis increscunt suspiria, dum studiosa mei laboris tempora, in te funditus perpendam neglecta. Unum autem de multis ago, te saluto vere pacis osculo. Vale, et licenciam eundi michi concede.

72 V: Irate, et in ira misericordiam non deserenti, receptus in gratiam: ut tamdiu feliciter vivas, donec ego gracia tua carere velim.

Sic amor noster immortalis erit si uterque nostrum felici et amabili concertatione preire laboret alterum, et neutri nostrum constet se ab altero superatum esse. Fit siquidem ut amicus in amando languescat, si se ab amico minus amari videat quam ipse promereatur. Nunquam ergo dixisse velim quod plus te amem, quam me amari sentiam, quia talis vox stulta est, et discidium parit. Immo hoc multo melius dictum recolligo, quod in mutuo amore inferior esse nolo, et uter nostrum alterum vincat dubito. ... Quidam cum spinam pulcerrimos de se flores proferentem videret, "talis est" inquit "domina mea, qua nulla spina est asperior cum irascitur, nullus flos gravior vel nitidor cum placatur." ... Vale et ut neminem mortalium michi compares, diligenter observa, quia ego in eadem circa te intencione tenaciter perseverabo. Salve dilectissima, et me semper tuum in memoria habe.

73 M: Salve et tu dilectissime, omni dulcedine digne.

Flos juvenilis ave, lux et decus imperiale,  
imperiale decus, flos juvenilis ave.  
Cum te plasmavit, sat te natura beavit:  
Viribus interius, laudibus exterius.  
Forme splendorem, tantum dedit atque decorem,  
Quantum vel nequeo dicere, vel stupeo.  
Plurima narrarem de te si crederet ullus,  
Quod mea mens sentit de probitate tua.  
Nunc faciam finem licet et plus dicere possem:  
Vivere gaudere, volo te minimeque dolere.  
Quot celo stelle, quot sunt et in orbe puelle,  
Quot maris undisone, tot tibi dico vale.

74 V: Nunc demum intelligo dulcissima quod ex toto corde et ex tota anima mea es, cum oblivisci vis omnis iniurie, quam ego stultus et improvidus mente nimis precipiti, et nimium molli ad resistendum doloribus sine omni deliberacione dilectissime mee intuli. Vox illa cassa fuerit, nichil significans, nichil habens ponderis; et tu anime mi si verba cum factis velis conferre: verba illa vere tantum fuerunt, que nullo opere claruerunt. De valetudine mea requiris? Si tu vales, ego valeo, si gaudes gaudeo, ad omnes demum fortunas tuas me coaptare volo. Vale, anime mi.

75 V: Unice suavitati sue: quicquid invita suavissimum reperiri potest.

... O stulta promissio, o vox nimium preceps et temeraria, o dictum hominis, qui vel amens vel ebrius aperte videatur. Quis enim tanta sciencia plenus tam labiis circumcisis, tam magnum de se audeat promittere? Pretermitto huius temporis litteratos. Si ipse Tullius de se tale aliquid iactasset, vere copiosa eius facundia in solvendo deficeret, quia nichil tanta promissione dignum afferet. Si ad metrum totas Ovidius vires suas intenderet, in hoc incepto planissime deficeret. Quis ergo sum ego aut que in me facultas, ut tales litteras dictare queam que me aureo sinu tuo, eburneis brachiis tuis, lactea cervice tua dignum exhibeant?

Verba omitto que ventis similia sunt: quis labor, quod opus, tanti sit, ut tam admirandam suavitatem sufficienter mercari possit? Si mare in spe talis boni transeam, exiguus labor est, si



Alpes in asperrimo frigore transcendam, vel si de medio igne, cum vite discrimine te petam, in omnibus his nichil fecisse videbor. Rogo igitur suppliciter gratiam tuam, ut litteras istas secundum promissa mea non metiaris, ne in proverbium illud incidam: "Parturient montes nascetur ridiculus mus," quia tam superbo promisso nichil dignum afferro. ...

Aliquanto iam tempore formosa mea de fide dilectissimi tui dubitasti propter quedam verba, que subita impulsus contumelia, in ipso doloris cursu dictavi, et utinam non dictassem, quia tu nimis ea memoriter signasti, que rogo ut a corde deleas, et apud interiora tua radicem non figant, sicut ego ea deo teste nunquam fixi, sed ubi ea a manibus dimisi, statim revocare volui, si vox emissa reverti nosset. ...

Idem tibi sum qui fueram: noli verba sed facta consulere. Non michi vetus es; quotidie cordi meo innovaris, sicut anni iocunda temperies, equaliter semper ingruente vere, nova est. Tempus ipsum nobis sua commoditate blanditur, temporis opportunitate fruamur. Sapienter amare poterimus, quod tamen rarum est, cum quidam dixerit: "quis unquam sapienter amavit?" Nos vere sapienter amare poterimus, quia et fame nostre sollerter consulimus, et tamen gaudia nostra cum summa suavitate miscbimus. Ille ignis fortius estuat qui tegitur, quam ille cui exundare conceditur. Vale amablis delectacio mea.

76 M: Cunctorum vinculo amoris alligantium carissimo certe sodalitates amica: integerrime dilectionis summa.

Quam intime carus michi sis, plene nullatenus denudare valet scribentis manus, quia interne dulcedinis me hortatur affectu, ut sis michi pre cunctis specialis dilectus. Quantus igitur erga te meus ardeat affectus, ullo modo tibi manifestare nequeo. ... Vere fateor dilectissime quod multociens ut pecus ignavum via subsisterem, nisi magisterialis institutionis tui sollercia, me prono digressam assidue revocaret tramite. "Nunc autem claudamus rivos sat prata biberunt." Decevit hoc mea intencio ut cesset ultro alterna contencio; satis iam dire iactis mutuo sermonibus intumuere ire.... Quid prolixis moror ambagibus? Unius michi petitionis annuas effectum: ut scilicet me animam tuam tali nunquam ambiguitate inquietare presumas. Vale mi stella clara, sydus aurem, gemma virtutum, corpori meo dulce medicamentum.

77 V: Gaudio suo: gaudium et leticiam.

Quid dicam tibi dulcissima nisi quod sepe dixi? Toto te pectore gero. Interioribus ulnis te amplector, dulcedinem tuam quo plus haurio plus sitio. Omnes copie mee in te unam se congesserunt, omne quod possum tuum est. Ut ergo operas mutuas demus, tu es ego, et ego sum tu. Hoc dixisse satis sit. Vale, protegat te valida manus omnipotentis dei.

78 V: Ille sollicite scribat qui non habet, ut quod non habet reperiat. Ego securus sum, ego navigando ad portum veni; qui naufragium patitur vota faciat; ego in portu sedeo, et ideo votis non ageo. Vale.

79 M: Merito specialis dilectionis amplectendo amore, incendium tui amoris: quot ameno tempore redolent flores, tot percipere salutes.

Si grande aliquid meditando concipit hominis interioris intencio, profecto interdum non consumitur sine quadam vi exterioris. Aut enim perficiendi desperacio confundit aut priusquam perficiat nimietas laboris graviter contundit. Unde fit, ut utriusque hominis labor vel studium in se videatur plerumque deficere, cum ad votum quod cupit non potest pervenire.

Ego tamdiu tractavi cordis et corporis flagranti nisu, qualiter te o gemma decora appellarem, sed intencionem mei affectus hucusque distulit difficultas suspecti defectus. Scio enim et fateor pro singulis quibusque tuis beneficiis quod grates persolvere nullatenus sufficio animi vel corporis officio. Verumtamen pro uno quod auro et topazio preciosius duco, quamdiu hic spiritus in corpore viget, tue dilectioni nunquam scribere piget. Nam quantum leticie et exultationis tua mellita michi conferat dilectio, non pandit ulla litterarum descriptio sive voluntatis confessio.

Tuus honor meum geminasse videretur si usque ad finem fatalem nos conversari liceret pariter. Nunc autem satius eligo mortis terminari periculo, quam vivens dulcifluo tui aspectus privari gaudio. ... Cum omnia factus sis michi excepta solius dei gratia, nil amplius desiderare michi necesse est per durantia seculi spacia, nisi ut vite tue dies augeat ille, qui ut unum eque facile prestare potest et mille.

80 V: Hiberno sole gratiori, et estiva umbra dulciori, ille qui familiaris calore tuo uritur et suavi spiritu leniter reficitur: ut suaviter vivas, nichil nisi quod dulce est experiaris.

Si esurio, tu sola me saturas, si sitio, sola me reficis. Sed quid dixi? Immo reficis et non saturas. Nunquam tui satur fui, ut puto nec ero. Vive in leticia, que nunquam tibi desit. Vale.

81 M: Dilectissimo meo, et ut verum fatear in amore peritissimo, cui non satis ad plenum gracias agere valeo: tamen laudes omnium rerum tibi simul famulantium et tocus pulcritudinis ascribo.

Vale tu, et illi pereant qui nos disiungere temptant.

82 M:

Quam michimet vellem mitti tibi mitto salutem.

Nescio quod magis hac esse salubre queat.

Si quicquid Cesar unquam possedit haberem,

Prodesse tante nil michi divitie.

Gaudia non unquam te nisi dante feram,

Et dolor et luctus non tempus in omne secuntur

Ni dederis michi res nulla salubris erit.

De rebus cunctis quas totus continet orbis

Denique semper eris gloria sola michi

Suppositi terre lapides velut igne liquescunt

Cum quibus imposita liquitur igne pyra

Sic nostrum late corpus vanescit amore

Sicque vale vive per tempora longa Sibille,

Vincas ut metas habuit quas Nestoris etas.

Miserere mei quia vere coartor dilectione tui. Vale.

83 M: Dies ista feliciter orta sit tibi, feliciter currat tibi, feliciter occidat tibi. Quid plura? Condicione pari per me te noris amaris. Vale, tu vitro es lucidior, et calibe fortior.

84 M: Amans amanti: gaudium cum salute optandi illud dico salutare quod non finiatur, et gaudium quod a te non tollatur per evum.

Post mutuam nostre visionis allocucionisque noticiam, tu solus michi placebas supra omnem dei creaturam, teque solum dilexi, diligendo quesivi, querendo inveni, inveniendo amavi, amando optavi, optando omnibus in corde meo preposui, teque solum elegi ex milibus, ut facerem tecum pignus; quo pignore peracto, dulcedinisque tue melle gustato, sperabam me curis finem posuisse futuris. ... Nemorum umbrosa diligunt volucres, in aquarum rivulis latent pisces, cervi ascendunt montana, ego te diligo mente stabili et integra. Hactenus mecum mansisti, mecum viriliter bonum certamen certasti, sed nondum bravium accepisti.... Si fides illius titubat, vinculumque eius dilectionis non firmiter se continet, in quem omnem spem meam, fiduciamque positam habui, et habeo, cui postea credere possim prorsus ignoro.

Velis, nolis, semper meus es et eris, nunquam erga te meum mutatur votum neque a te animum abstraho totum. In te quod quesivi habeo, quod optavi teneo, quod amavi amplexata sum, tui solius conveniunt mores, te nisi mors michi adimet nemo, quia pro te mori non differo. Vale, et in continuis horis memento nostre dilectionis. Prologuum tuum quem composuisti michi, cum graciaram actione, cum amoris servitute recompensabo tibi. Cor tibi letetur; desit quod triste vocetur.

85 V: Si in eodem corpore ulla potest esse alteritas, vel divisio, tunc divide a se optime parti sui corporis: indivisam dilectionem, incorruptam, et integram, et interminabilem vivacissimi amoris dulcedinem.

Si verba dilecti tui notare perspicaciter velis, aperte notare potes dulcissima quod plus volo, quam possim, quod verba querendo deficio, quia ita usitatum modum superexcellit affectio mea, ut usitatis verbis exprimi nullomodo ad plenum possit. Si aliqua in me notatur segnicies, si aliquis perpenditur defectus, utique defectus est non in amore frigescentis, sed pre nimia mentis alienatione, quid dignum dicat dubitantis, multa volentis, et minus facientis. Nec dignum est ut verba sufficienter recompensent, quod tu in rebus beneficium prestas.

Si quicquid mundus habet preciosius in unum congeratur, tuis beneficiis collatum omnimodo sordescat, nullius estimari queat. Tanta est suavitas tua, tam mirabilis continuitas tua, tam ineffabilis demum eloquii habitus, et omnium que circa te aguntur pulcritudo et gracia, ut si quis hec verbis equiparare presumat, magna videatur contumacia. Ignis noster novis semper crescat alimentis, quo magis tegitur magis exestuet, invidos et insidiantes decipiat, et semper in dubio servetur, uter nostrum magis alterum diligat, quia ita semper pulcerrima inter nos erit concertatio ut uterque vincat. Vale.

86 M: Inepotabili fonti dulcedinis, pars anime eius individua: post sollicitudinem Marthe et fecunditatem Lie, possidere optimam partem Marie.

Immensa vis tui amoris, indesinenter, incessanter, indubitanter, inenarrabiliter permanens in statu sui tenoris, secundum posse meum ac nosse, me cogit pauca ad te dilectissimum scribere. Sed quid potissimum eloquar prorsus ignoro; tociens me verbis tuis dulcissimis prevenis, tociens michi tue intime, et sincere dilectionis affectum ostendis, ut absque omni ambiguitate amor et desiderium tui semper in me ardescat, et nunquam refrigescat.

O si nutu dei acciperem volucris speciem quantocius volando te visitarem. ... Id enim quod nunc optavi, si salva gracia dei posset fieri: deo teste cui difficile est verba dare fallacie, nichil est in omni orbe terrarum quod maius optarem. Impinguat me affectus tuus, sed non potest me implere amor tuus. In tua vita est salus mea, tu es totum desiderium meum, et omne bonum

meum. Vale cordis dimidium, et tocius leticie ac amoris incendium.

87 V:

Et brevis et longus presens michi transiit annus  
Ex quo cara tuus me sibi vinxit amor.  
Nam repetendo tue decus insaciabile forme  
Et bonitatis opus familiare tibi  
Noticie brevis una tue, vix hora videtur  
Sic semper votis es nova curis meis.  
At repetens quam rara tuo contingis amanti,  
Annos innumeros estimo preteritos.  
Quelibet una dies ter denos continet annos  
Quam sine te cogor ducere dulcis amor  
Sole carens fluit illa dies, et lucis honore,  
Qua tua ceu michi sol non oritur facies.  
Sol certe meus est vultus tuus, et mea lux est,  
Contingit faciem quando videre tuam.  
Sidera si queras, duo sunt mea, nescio plura.  
Sidereos oculos hec ego dico tuos.  
His ego quando fruor, nil tunc michi defore credo,  
His ego cum careo, defore cuncta puto.  
Sic dici possum felicior omnibus esse,  
Sic dici possum nil habuisse boni,  
Sic igitur verum, quod diximus ante, probatur,  
nunc novus est annus, novus est amor incipiendus  
Vultque fides aliam nostra tenere viam  
Non amor ulterius ullis ledendus amaris  
Nil mea vita tibi, iam nisi dulce dabo,  
Nec dicam nec agam, isi que tibi nosco placere  
Ad nutus domine me conhibebo mee;  
In nullis rebus unquam diversa probemus  
Tu quod vis jubeas protinus ipse sequar.  
Corpus sic tenerum, nichil ultra ledat amarum  
Carminibus duris, nec locus ullus erit.  
Ignoscas formosa tuo, si scripsimus unquam,  
Irasci posses unde michi merito  
Non hoc consilio, non hoc egi ratione  
Qui male consuluit, impetus ipse fuit  
Emissam vocem, si quis revocare valeret  
Hanc fateor vocem quod revocasse velim.  
Quando tuas animo lacrimas ipse tenere meas  
Suscipias igitur sua qui delicta fatetur  
Suscipe, nec culpe sis memor ulterius.  
Suscipe, nam lacrimis precor hoc carissima largis.  
Orabo flexis hoc eciam genibus  
Lux oculis hodierna meis extrema sit orta

Femina si vivit, quam tibi pretulerim.

88 M: Firmissimi amoris fundamento, domus bene superedificata atque optime consummata: vicinitatem federis et stabilitatem.

Montes et nemora, silvarumque omnia respondent umbrosa, et quomodo michi gloria difficilis esset rescribendi? Fallit enim labor laborantem, animus dum se voluntarius expedit ad rem. Immo nil difficile quod ex voluntate.

Raro quequam invenimus in hoc salo tam composite felicitatis, tam perfecte virtutis, quin corpus eius non bene politum, deesse sibi peniteat multum, nisi tu solus, qui per omnia et in omnibus extas virtuosus. Igitur cordi meo firmiter infixus semper adheres, et adherebis, nec saltem horam unam dormiendo neque vigilando inde recedis neque recedes.

Non est nec unquam erit dilectio firma, que tam cito flectitur fallacia. Quicquid unquam michi iniurie intulisti, a memoria actenus non recessit cordis mei, sed nunc pure ac sincere et pleniter tibi condonabo omnia, eo tenore ut deinceps a te tali non moveatur iniuria. Tecum permanebo fida, stabilis, immutabilis, et non flexibilis, et si omnes homines capiendos in unicos scirem, nunquam a te nisi vi coacta, et penitus expulsa, recederem. Non sum harundo vento agitata, neque me a te movebit asperitas ulla, nec alicuius rei mollicia.

Ignis enim amoris tui semper in me renovabitur et crescit, altius inardescit et non refrigescit, et quanto interius plus absconditur, et servatur, tanto magis augetur et multiplicatur. Et licet tocians, ut velim, ut optem, ut desiderem, oculis corporeis a me non videaris, tamen ab intencione mentis non labescis. Facilius enim ignis servatur, si caute cineribus sepelitur, nec fumus inde generatur; ita et nos invicem diligamus. Vale interminabili gaudio letare.

89 V: Unico gaudio suo: salutem si tibi dare possum, quod nisi a te non habeo.

Si verba que mitto, aliquantulum pauciora desiderio tuo esse videntur, non verba consule, sed mittentis voluntatem. Inopem me copia facit. Volunt siquidem multa simul erumpere, et ita se invicem officiant; dum dubitando moras facio tempus fluit. Vale gemma tocius Gallie.

90 M: Frondoso nemori omnigenarum virtutum odore redolenti, flos et lilium eius: fidei augmentum, et amoris incrementum.

Libenti animo ac mente devota ad te mi dilecte scriberem multa, nisi quod tot me impediunt cure, que animum meum trahunt diverse, ut pre nimio dolore cordis, vix proferam aliqua verba salutationis. Nunc autem te obtestor per tuam fidem, et mei amoris sollicitudinem, ut sicut me ab inicio in dilectionem tuam accepisti, acceptam serves, et amorem nostrum ex animo non amoveas. Vale, vive, bene valendo per secula letare.

91 V: Lune splendissime omnes tenebras fuganti, lune inquam cuius splendor non deficit, ille cui sine te nunquam dies est: semper fulgere, semper gratissime lucis incrementis gaudere.

Cure dulcissima quas pro dilecto tuo geris, tanto michi dulciores sunt, quanto maius fidei tue argumentum tribuunt. Si ergo presens essem, ego tibi curas omnes eluerem, ego dulcissimas lacrimas a sidereis oculis tuis abstergerem, amplexibus sollicitum pectus tuum ambirem, leticiam tibi integre reformarem. Vale.

92 M: Lumini clarissimo, et solsticio suo, nunquam fuscis tenebrarum labenti, sed semper candoris colorem inferenti, illa quam nullus nisi tu sol uret in die, nec luna per noctem: acrius candescere, splendidius fulgere, in fervore nostri amoris non deficere, salis condimentum

habere, conditaque servare.  
Vale.

93 V: Splendidissime luci sue, que in mediis tenebris lucere solet: dulcissime lucis nullos sentire defectus.  
Nullus nobis infelicior est, quos amor simul et pudor in diversa rapiunt.

94 M: Perfecti decoris, et optimi odoris aromati, germine suavitatis in campo heremi centuplicatio, luna plena: innexibilis amoris delicia.  
Verba da ventis. Si me pro talibus lapidas, quid faceres ferenti iniurias? Ille amicus non est laudandus, nec ex omni parte perfectus, qui non est memor amici nisi in tempore usus necessarii.  
Vale.

95 M: Navi periclitanti, et anchoram fidei non habenti, illa quam non movent ventosa que tue infidelitati sunt congrua.  
Tu non equo mecum sentis animo, sed mutasti mores; idcirco nusquam est tuta fides. Penitet me non modice, quod te solum pre omnibus cordi meo tam firmiter affixi, quia frustra laborat, cui laboris mercedem nemo recompensat. Pendula expectatione vix expectavi. Sed quid hec spes michi porfuit, que nullum profectum attulit? Vale.

96 V: Speciose sue, cuius laudi nec mens nec lingua sufficit: quid aliud, nisi ut totum tibi proveniat, quod dilectissimi tui estuans dilectio iugiter affectat?  
Mea verissime in te dilectio de die in diem proficit, nec temporum vetustate minuitur, immo sicut sol quotidie novus est, ita tua suavissima dulcedo novitate sua florescit, germinat, et vivide crescit. Vale martyr mea, ut ego tui sic memor esto mei.

97 V: Cordi dimidio, parti anime mando, quod sum: tibi sum dum vivo.  
Vale quamvis nullum miseris michi salve.

98 M: Tyroni et amantium dulcissimo: fundamentum stabilis amicitie infidelitatis fusca nescire, frigidum neque tepidum fieri in dulcifero nostri amoris ardore, sed solito more ardentius estuare, meque promerentem amicabili fomite pectoris semper sine tedio gestare.  
Mea vota nil michi prosunt, quia ego et mea tibi vilescunt, et delectacionem desiderati gaudii, tu quasi iratus sustulisti.

99 V: Amoris leges bene scienti et optime impienti, amicus idem qui fuerat: eandem unici amoris constanciam.

100 M: Fidelis fideli: nodum qui nunquam denodatur amoris integri.  
Dignum est et benefactum ut possessio que possidetur a possessore attentius exerceatur, neque in corde eius vilescat, sed magis ac magis omni hora crescat.

101 V: Sidereo oculo suo: semper videre quod placeat, nunquam sentire quod displiceat.  
Ego sum qui fui. Nichil in me de tuo amore mutatum est, nisi quod in maius quotidie flamma tue dilectionis exuberat. Hec sola mutacio fatenda est, hec sola iuste conceditur quod tuo

amori apud me in omni tempore proficitur. Cautius modo te alloquor si notare vis, cautius aggredior, pudor se amori contemperat, amorem verecundia cohibet, ne in immensum prouat, ut et nostris dulcibus votis copiam demus, et famam que de nobis orta est paulatim attenemus. Vale.

102 M: Lacte et melle mananti, candor lactis et dulcedo mellis: liquorem tocius suavitatis et augmentum gaudii salutaris.

Te dilecissimum cordique meo amantissimum, amori meo aptissimum, voto meo convenientissimum semper valere, et semper dulciter vivere, summa opto cordis intencione. Quod preciocissimum habeo, tibi do, scilicet meipsam, in fide et dilectione firmam, in amore tuo stabilem, et nunquam mutabilem. Vale, letare, nil te offendat, nec me per te ledat.

103 V: Argento nitidori, omni precioso lapide splendidiori, omnia pigmenta odore et sapore superanti, ille qui semper novis reficitur donis tuis, et gaudiis: blanda semper novitate delectari.

Amor ociosus esse non potest. Se enim semper in amicum erigit, semper ad nova obsequia contendit, nunquam dormit, nunquam desidia labascit. Hec anime mi sententia in te liquido comprobatur que in incepte dilectionis cursu firmiter durans, amico tuo qualis in eum sis, novis semper declaras indicis. Quanti dona tua faciam vel cuius apud me sint ponderis, tibi familiariter intimabo.

104 M: Insaciabili amoris dulcedini, cuncta delectabilia suavitate superanti, illa cui nichil preciosius in toto mundo comparatur: ut dignitas tua ineffabili gloria renovetur.

Amoris tui incendium quod in me crescit, semper me scribere cogit. Sed quid potissimum dicam ignoro, nisi quod dilectionis indicium cordi meo insitum tibi revelabo. Jure pro illo doleo, quem tam tenere, tam interne diligo, cuius dulcedinis benignitas, suavitates precellit humanas, et illum non datur oculis cernere corporeis, qui nunquam labascit ab intencione mentis. Huius ergo doloris incrementum non est alio modo sanandum, nisi in modo turturis tibi servem inviolabile pignus amoris, illud optans voce et votis, ut tibi multiplicentur anni vite, et adipiscaris quandoque coronam immortalis eterne. Vale.

105 V: Summo lassorum animorum solamini, gaudio integro, spei solide, omnium demum que iocunda domicilio, ille cui tuus spiritus mellis est haustus, cui tuus intuitus clarissimum lumen est: quid aliud nisi ut magne suavitati tue longissima vita sufficiat?

Quod amorem meum dulcissima scribendi necessarium tibi causam constituis, ita gratanter accipio, sicut artissima vere dilectionis cathena te firmiter astrictam teneo. Verbis eciam tuis ut facillima fides sit, opera tua probant, que ita frequentibus beneficiis redundant, ut apertum sit amorem tuum frigidum non esse, et eum quem te amare testaris, lingua eciam tacente, factis sufficienter loqueris.

106 V: ... Nichil insipiente fortunato gravius est. Nunc primum ante actam fortunam recognosco, nunc leta tempora respexisse vacat, quia spes recedit nescio an unquam recuperanda. Ego precium ob stulticiam fero, quia bonum illud quod retinere sicut decuit nescivi, quo utique indignus fui, illud inquam bonum perdo, alio avolat, me relinquit, quia me sua possessione indignum recognoscit. Vale.

107 M: ... Cuius animus dividitur in multa, minus valet ad singula. ... Vidi michi assistere mulierem, etate senem, aspectu decoram, et per omnes compages membrorum ultra humanum modum elegantem, que me torvis oculis inspiciens, iustaque increpacione has voces proferens inquit: "Cur tam megligenter agis? Nonne vides quod nullum nobilitas generis, nec forma decoris, nec aspectus pulcritudinis iuvat, nisi quem spiritus sancti gracia prevenit, diviciasque sapiencie et sciencie in se recipit ut his munitus secularibus calliditatibus possit resistere salvus?" ... Reducto in vires animo, hoc eam allocuta sum responso ... etc. Vale, quot folia queque gerunt arbores, tot mando prosperitates.

108 V:

Sol meus atque serena dies mea lux mea salve.  
Tu mea dulcedo, te sine dulce nichil  
Si queris quis verba tibi tam dulcia mittat  
Vita manes cuius hoc facit ille tuus  
Cui potius lacrimae te discendente fuere  
Cui dolor et gemitus mixta fuere cibus.  
Vita gravis mors suavis erat, hanc sepe precabar  
Nam nec leta dies, nec michi grata quies  
Sepe sequi dominam votum fuit, ire parabam,  
Sed pudor atque metus continuere viam.  
Fama tui reditus simul est audita, reversus,  
Spiritus est cari dulcis amica tui.  
Incalui totus, horror ferit intima letus,  
Erigor, et mea vix gaudia percipio,  
Nec mirum reduci tibi me dilecta favere,  
Namque favent letis tempora blandiciis  
Gratius astra nitent, sol clarior exerit orbem,  
Blanditur tellus floribus alma suis.  
In laudes natura tuas se preparat omnis  
Cuncta tuas laudes o mea vita canunt.

109 M: Quia uterque nostrum alter alterius conspectui modo in momento presentari valet, littere nostre salutacione non indigent. Cupio te tamen esse salvum, virtutum decore indutum, sophie gemmis circumtectum, morum honestate peditum, omnisque compositionis ornatu decoratum. Vale, fons refrigerii. Vale flos odoris gratissimi. Vale memoria leticie, oblivio tristicie.

110 V: Unice sue: gaudium quod nulla egritudo corrumpat.

Deo teste dilectissima quotiens tuas legere litteras incipio, tanta interius suavitate perfundor, ut litteram quam legi sepe cogar repetere, quia attentionem michi magnitudo aufert leticie. Facile ergo perpendere potes quam iocunda michi sit ipsius gratissime persone tue presencia et quantum in se ponderis habeant viva verba tua, cum tantum me vox eminus missa letificet. Vale.

111 V:



Lucida nox tua sit, preter me nil tibi desit  
Dum me pulcra cares defore cuncta putes.  
Me sopita vide, me dum vigilas meditare,  
Et velut ipse tuus sum, michi sit animus.

112 M: Magistro suo nobilissimo atque doctissimo: salutem in eo qui est salus et benedictio.  
Si bene vales et inter mundana curris sine offensione, summa efferor mentis exultacione.  
Placuit tue nobilitati eas litteras mittere mee parvitati, in quibus me appellando, et tue dilectionis consolacionem promittendo, pre nimio gaudio sicut michi visum est quadam agilitate mentis, me usque ad tercium celum rapuisti. Evidentius verum dicam: litterarum tuarum immensa iocunditas ex improvise me rapuit, et quasi per internam revelacionem ad voti mei consolacionem instituit. ... Jam philosophie laribus nutritus, poeticum fontem ebibisti. ... Sitire deum et illi adherere soli necessarium est omni viventi. ... Quamvis futurum sit, tamen iam tibi moncium cacumina supplicare conspicio. Nec dubito, quin in te impleatur hoc quod opto divino consilio. Verum nullo genere linguarum, nulla verborum facundia potest sufficienter explicari, quantum gaudeo, quod portum tue dilectionis secunda nec ingrata optineo. Cum ergo tanti beneficii meritis dignam rependere vicem nullatenus valeam, tamen desiderio, desidero indeficienter tuo vacare studio. ...

112 a. M: Ubi est amor et dilectio, ibi semper fervet exercitium. Jam fessa sum, tibi respondere nequeo, quod dulcia pro gravibus accipis, ac per hoc animum meum contristaris. Vale.

113 V:  
Urget amor sua castra sequi sua jura vereri  
Et quod non didici discere cogit amor.  
Non homo sed lapis est quem non tua forma movebit.  
Credo quod moveor, nec lapis esse queo.  
Cura fuit Veneris effingere membra poetis  
...  
Sed tibi num finxere pares? Non estimo certe  
Exuperat veras nam tua forma deas.  
Eloquar an sileam? Si sit tua gracia dicam.  
Dicam nam verbis proditor omnis abest  
Qualia sunt que veste tegis? Vix mente quiesco.  
Que palpasse volo cum subeunt animo.  
Sed fortuna pudorque meis dulcissima votis  
Obstant et populi murmura que timeo.  
Ut quociens opto te possim cara videre  
(Quod ter quaque die posse velim fieri)  
...  
Candidior medio nox foret illa die.  
Da veniam quia dictat amor que scribere cogor

Da veniam fasso, non patienter amo.  
Tu me vicisti, potuit quem vincere nulla.  
Fotius hinc uror, est quia primus amor;  
Nam non ante meas penetravit flamma medullas.  
Si quis amor fuerat ante fuit tepidus.  
Facundum me sola facis, hec gloria nulli  
Contigit, ut fuerit carmine digna meo.  
Tu nulli similis, in qua natura locavit  
Quicquid precipuum mundus habere potest  
Forma genus mores per que pariuntur honores  
Urbi te nostre conspicuam faciunt.  
Ergo quid est mirum si me nitor attrahit horum?  
Si tibi succumbo, victus amore tuo?